









1712.

1. ~~Beyers~~, Georgius, Ordinarius Feterum . . . Decanus : lectoribus
omnium ordinum honoratissimis s. p. d. (ad Disputationem
inang. Johannis Christiani Vertelii invitat.)
2. Beyer, Georgius, Facultatis juridicae . . . Decanus : benigne
benovolenteque lectori s. p. d. atque Disputationem inaug.
Dr. Christoph. Gradchund, advenit . . . Decanus intimat.
3. Beyer, Georgius, Ordinarius juridicorum . . . Decanus . . .
Lectoribus omnium ordinum . . . s. p. d. eodemque ad Dis-
putationem inaugurali Dr. Fridr. Ahlegelii, ^{presentium} ~~present~~
suum benovolente commodare haud dedignantur . . . in
votat. 2 Exempl.
4. Beyer, Georgius : Proverbia jurisarum: major dicitur,
minor eligit solemniter examini s. d. Act.
5. Beyer, Georgius : De jurisdictione incompetenti, iudici
in non subditos per prerogationem fundata.
6. Beyerus, Georgius : De Curanda. Von Der Curate der Kluge.
gr. 6. Richter, Math. Haas : De Directorio, quod archi. censet =

- Laris Communiae mortuo, absente vel impedito, imperium
 a rchi-marescallo competat. 2 Exempl.
- 9^a = Grotius, Mich. Haur: De sigillo maiestatis Sacrae.
 2 Exempl. 1712. 1712: 2 Ed.
- 10^a = Grotius, Mich. Haur: De mandato speciali et actibus,
 qui sine eo a procuratore in iudicio peragi
 nequeunt. 2 Exempl. 1724: 1741
- 11^a = Grotius, Mich. Haur: Controversiam selectarum observatio-
 num fore ecclesiasticas . . . publico examini submittet
 2 Exempl.
12. Grotius, Mich. Haur: De his, quae vulgo, sed perperam
 et jurisdictionem referuntur
13. Harbomius, Jo. H. Grotius: Prof. publ. extraord. Grotius
 & academici . . . actiones publicas prioresque
 significat et de usu historice in jurisprudentia
 privata disserunt.

14^{tes} = Hartungius, Fr. Holapater: De pacto semini reservationis
2 Exempl.

15. Hassen, Mathias: Characteres tyranni in Oliverio
Cromvello, Angliæ quondam, Scotiae et Helvetiarum
profectore

16. Hoffmann, Christianus: De immunitatibus literatorum

17. Hornius, Kasp. Henricus: De expectativa eccle-
sistica.

18^{tes} = Hornius, Kasp. Henricus: De testamentaria patris circa
fidei committentem. 2 Exempl.

18^{tes} = Hornius, Kasp. Henricus: De interuentu ^{controversia de mix} 192. 1. 1. densisch!

~~19. Plavins - Wood~~

~~20. Schroeter - Roeschens~~

~~21. Wacker - Lampe~~

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a letter or manuscript page.]



E. 10. num. 22

1712
9
86

POSITIONES IVRIS PVBLICI
DE

DIRECTORIO

QVOD

ARCHI-CANCELLARIO

GERMANIAE MORTVO,
ABSENTE VEL IMPEDITO, IMPERII

ARCHI-MARESCALLO COMPETIT

PRAESIDE

MICH. HENR. GRIBNERO,

D. E T P. P.

PVBLICO EXAMINI SVBICIT

PHIL. FERDINAND. A KÜHLWEIN

D. IX. FEBRVAR. MDCCXII.

VITEMBERGAE

Imprimebat SAMVEL KREVSIGIVS.



P. 365




POSITIONES IVRIS PVBLLICI
DE
DIRECTORIO

ARCHI-CANCELLARIO
GERMANIAE MORTVORVM
ASSENTE VEL IMPEDITO IMPERII
ARCHIMARSCALCO COMPETIT

MICH. HENR. GRIBNERO

PUBLICO EXAMINI SVBICIT
PHIL. FERDINAND. A KÜHLWEIN
D. IX. FEBRUAR. MDCCXII.

IMPRESSE SAMVEL KRIVSICIVS
KITEBERGAE



Handwritten marginalia or notes in the right margin, including the number '11' and some illegible scribbles.



§. I.



Non ultimum inter singularia Electoris Saxoniae iura et praerogativas est, quod ultimo loco inter *praetensiones* Ducum Saxoniae Aulor Germaniae Principis refert, a) quod, tanquam Imperii Archi-Marescallus, in comitiis eas Directorii partes, quas Archi-Cancellarius Germaniae sibi vindicat, quoties ille munere suo defungi nequit, ipse sustineat, et quicquid Colonienfis et Treuerensis Electores, quicquid Capitulum Moguntinum obnitarur, suo iure sibi vindicet.

§. II.

Constat enim inter omnes, Electorem Moguntinum vi *Cancellariatus*, quo munere per Germaniam defungitur, in Collegio Electorali et in Imperii Comitiiis supremas Directorii tenere partes. b) Cancellariatus inquam causa. Neque enim ius hoc tanquam *primo* inter Electores ei competit, c) cum

A 2

fi

- a) Vid. GIOVANNI Saxon. Cap. 3. n. 34. pag. 162. Ed. nou. Edit. pr. n. 18. pag. iii. vbi nescio an non in dubium vocare ius hoc nostrorum Principum voluerit, quod *arrigare* eos sibi contradicente Colonienfi et Treuerensi Praesule tradit.
- b) Vocatur Directorium eius *das Ober-Reichs-Directorium*, teste Ill. LYNCKERO *de Munere Director. cap. III. p. 12.*
- c) Primum in Collegio Electorali locum tenere Moguntinum, nemo dubitat, et Electorem Principem, den *Obersten Chur-Fürsten*, ipsi Imperatores compellarunt. Sed an Directorii ius hac ex causa exerceat, disquiruntur, quod nobis omnino negandum videtur. Diff. Ill. LYNCKER. l. c. p. 25.

fi in Italia aut in prouinciis, ad quas Cancellarius ipsius non pertinet, Comitibus haberi contingat, Directorii partes illarum terrarum Cancellarii vix ei relicturi videantur, *conf. SCHILT l. l. t. 20. §. 6. p. 215.* licet de loco et ordine cum ipso nunc quidem non contendant. Sed nec tanquam Collegii Electoralis Decano: Hunc enim vix ipse sibi asserit titulum, et quamuis Doctores Publici Iuris passim ei adscribant, d) ac ad diplomatum fidem prouocent, e) improprie tamen, in his Decani vocabulum accipitur, cum satis constet, Electorale Collegium Decanum non habere. f) Saltim Directorium, de quo hic agimus, ex tam incertis dubisque originibus repeti omnino nequit.

§. III.

Sed hoc Directoris munere, si Archi-Cancellarius deficiat, aut illud suscipere recuset, Serenissimi Electores Saxoniae defunguntur. Non Electoratus aut Ducatus Saxonici, (nec Palatinatus vid. tamen III. Coccei. c. 20. n. 19.) sed Archi-Marescalliae causa. Equidem qua Dux, circulum superiorem Saxonicum dirigit, qua Elector est, Directorium in causis, quae ad Principes Saxoniae vtriusque lineae pertinent, gerit. g) Sed in Comitibus Imperii Archi-officii ratio habetur. Huius intuitu Conuentus Ordinum Protestantium moderatur: quamuis si quis ex pacto et con-

d) RHET. L. 1. t. 3. §. 3. THVLEMAR. de Octo Vir. cap. X. §. 3. STRVV. Diff. XVII. §. 3. SCHARSCHMID. ad SCHVZ. Ex. II. th. 10. lit. b. et th. 14. lit. f.

e) THVLEMAR. STRVV. l. c. Londorpii tamen, ad quem prouocant, locus non recte ab iis indicari videtur.

f) Conf. III. COCCII cap. X. n. u.

g) De his alibi ex instituto. vid. interim SCHILTER Inst. Iur. Publ. pag. 125.



conuentione hoc Directorium repetere malit, non equidem multum ei ego repugnauerim h). Vi huius, vt dixi, Mareschallatus quemadmodum superflite et praesente etiam Moguntino in Directorio quodammodo concurrat, ita eo impedito, absente, et sede Moguntina in primis vacante omnes Archi-Cancellarii partes, quae ad dirigenda Comitatus referuntur, sibi asserit.

§. IV.

Non est animus rei huius historiam commemorare, et quid Directorii illius causa ante duo fere secula in Comitibus anno 1529. quid anno 1562. actum, quid seculo proximo anno 1640. 1641. et anno 1647. quid postea anno 1675. quid anno 1678. et 1679. quid denique anno 1690. gestum fuerit, referre. i) Nam quamuis ex his constare possit, Saxones ius suum nunquam deseruisse et in possessione huius Directorii, vt loquimur, constitutos esse, instituti tamen ratio huc vt digrediar, non permittit, cum mihi propositum tantum sit paucis ostendere, frustra ab aliis ius hoc Electorum nostrorum in dubium vocari.

§. V.

Dixi antea praesente etiam et superflite Moguntino aliquas ad Archi-Mareschallum Directorii partes pertinere. Ita quod ad conuocandi ius attinet, Can-

A 3

cella-

h) Hoc ius Electoris Saxoniae singulare *Programmate p. cul. ann. 1709.* vindicauit Praefes. Add. *Electa Iur. Publ. Tom. I. p. 612. sqq.* Fallitur autem Cl. STRVV. qui ius hoc demum a Pacis Westphalicae temporibus Protestantes agnouisse tradit *Diss. XXII. §. 46.*

i) Conf. interim *der Discurs von gegenwärtigen Reichs- Sage* apud SCHILTERVM pag. 107. sqq. ARVMAEVS, WAGENSEILIVS, KVLPISEIVS et FRITSCHIVS ac PFEFFINGERVS.

cellaria Moguntina ipsa nec per se, nec per alios conuocare potest, sed vt a Marefcallo fiat conuocatio, necesse est. Inde in Comitibus Raisbonensibus anno 1613. cum ex Cancellaria Moguntina Directori Austriaco schedula insinuaretur, ille hoc ius Moguntino competere negauit; negarunt etiam alii Principes, ac hac ratione receptum stylum ac morem mutari et Electoris Saxoniae iuribus derogari declararunt k).

§. VI.

Sed nec vt conuocatio fiat, iubere aut Marefcallo Imperii imperare potest Moguntinus, saltem si Archi-Marefchallus ipse praesens sit. Sed teneatur eo casu Elector Moguntinus schedulam intimationis ad Electorem Saxoniae aut eius Cancellarium l) transmittere, cuius demum iussu Marefchallus insinuationem peragit m). Sed et si ipse Elector Saxoniae Comitibus non intersit, Marefcallus antequam Ordines conuocet, rem ad Legatos Saxonicos refert

k) Monuerunt enim Saxo Altenburgicus, Isenacensis, Bambergensis aliique Legati: Es wäre dem Churfürsten von Sachsen, als welches wegen der Erb-Marschall in Fürsten-Rath wäre, hierdurch eingegriffen, Vid. HERMES Cap. XL. n. 55.

l) Ita legendum, non Cancellarium den Cankler, vt habet THVLEMAR. Cap. X. n. 8.

m) Pertinent huc verba conuentionis de anno 1562: Damit S. H. d. aus Ihrer Cankley ferner befehlen mögen dem Erb-Marschall die herum zutragen. Add. SIXTVS SOMMERN Von des H. Röm. Reichs Erb Marschall Amts-Verwaltung. rubr. von ansagung zum Reichs-Rath. §. Wo aber,

fert schedulam sibi transmissam exhibet n), et tunc demum ipsis consentientibus munus suum rite peragit.

Quae omnia pacto anno 1562. inter Danielem Archi-Episcopum Moguntinum et Augustum Electorem Saxoniae inito continentur. Cuius tabulas, quas WAGENSELIVS o) se non vidisse et ignorare profiteretur, CARPZOV. ad L. Reg. Cap. XI. Sect. VI. p. 288. FRITSCH ad Limm. p. 315. et nouissime LVNIG in Oper. praestant. des Reichs - Archius P. 3. S. I. n. 156 p. 396. exhibent. Add. MVLLERI Annal. ad ann. 1562. p. 135. De eo quoque inter Moguntinum et Saxonem controuersiam intercedere, cui ante factam in Comitibus propositionem ius conuocandi competat, ex ARVMAEO de Comitibus apparet Cap. VI. §. f. pag. 426. quae lis an et qua ratione composita sit, non equidem mihi constat. p)

§. VII.

Porro quod ad ius rogandi sententias attinet, si Comitia praesente Imperatore vel Rege Germanorum habeantur, non Moguntinus vota explorat, cui absente demum Imperatore ea potestas competit; sed Archi-Mareschallus, cui ius hoc liquido asserunt tabulae conuentionis inter Albertum Cardinalem

n) Diff. HERMES l. c. n. 56. verb. Nec tenetur Electoris Saxoniae Consiliarius eam schedulam primo annunciare. Sed et ipse fatetur, aliud obseruatum esse anno 1603. et transactio de anno 1562. eum docere poterat, denunciationem hanc omitti non posse. Ita enim §. Wenn aber. cautum est: Damit er denselben erst dem Chur-fürstl. Sächsl. Råthen zeigen und folgendts umher tragen mðge.

o) d. S. R. I. Officialib. Cap. VIII. §. 33. pag. 80.

p) Noua haec omnino controuersia videtur, nec, quod ARVMAEVS d. l. existimat, anno 1529. iam composita ea fuit.

nalem Moguntinum et Magdeburgicum Praefulem q) et Ioannem Electorem Saxoniae anno 1529. in-
 itae. quas vide sis apud WAGENSEIL. p. 80.
 FRITSCH. p. 312. ARVM. de Comitibus Cap. VII. n. 77.
 PFEFFINGER. ad Vitriar. L. III. t. 10. p. 138. MVL-
 LER. ad ann. 1529. p. 82. et nouissime LVNIG l. c. p.
 325. (non 383. vt GIOVANNI citat.)

§. IIX.

De alternatione Directorii in conuentibus par-
 ticularibus (wann ein gemeiner Ausschuß, er sey
 klein oder groß, gemacht wird, darinnen Chur-für-
 sten oder Ihre Bothschaften sitzen) eadem transa-
 ctione cautum est, vi cuius prima quaeuis die Mo-
 guntinus, altera Saxo Ordinum vota scrutatur et
 colligit. Sed et si absente Imperatore conuentus
 Ordinum vel Electorum habeantur, Moguntinus
 equidem Reliquorum, sed Moguntini sententiam
 Saxo explorat, et sic quodammodo in dirigendi
 officio concurrat. Conf. dict. Conuention. verb.:
 Der Chur-Fürst von Sachsen oder derselben Boths-
 chaft ein Erzb-Bischoff zu Maynz oder Seine
 Bothschaft fragen soll. Add. die Grund-Veste P. 2.
 Cap. 4.

q) In his literis elogium Archi - Cancellarii Primatis
 titulo, et Moguntinus Magdeburgico Episcopatu
 praemittitur. Memini tamen, me alias eiusdem Al-
 berti literas legisse anno 1524. et anno 1532. scriptas.
 in quibus is, quem subiicio, titulorum ordo seruatur:
 Wir, ALBRECHT, von Gottes Gnaden, der H.
 Röm. Kirche des Tituls S. Petri ad Vincula Priester
 Cardinal (in his quae anno 32. datae sunt, additur:
 Und Legatus natus) zu Magdeburg und Maynz Erzb-
 Bischoff Primas und des H. Röm. Reichs durch Ger-
 manien Erzb-Canslar, Add. III. LEIBNIT. Cod. Di-
 plom. Mant. II. p. 230.

Cap. 4. LEHMANN. L. 2. Cap. 124. r) Imo quamvis quod ad negotium electionis attinet, A. B. constitutum fit, reliquos Electores Moguntini sententiam perscrutari debere, vt ipse votum suum aperiat et intensionem exprimat, C. IV. §. 3. vsu tamen obtinuit, vt has quoque partes nomine reliquorum Electorum peragat Saxoniae Elector, quod ex Protocollo electionis Car. V. GOLDASTVS, et ex eo LIMNAEVS docet *ad. d. §. Obs. X. Add. BVXTORFF. ad Cap. V. th. 50. lit. d.*

§. IX.

Sed has partes Directorii Archi-Mareschallus suo iure sibi vindicat. Videamus iam, quibus causibus Cancellarii vices etiam sustineat et dirigendi munus plenius ac tantum non solus suscipiat. Id quod obtinere puto, quotiescunque Moguntinus suum officium obire aut recusat, aut impeditur. Ad quem enim alium probabile est partes istas tunc deuolui, quam ad eum, qui alias quoque cum Moguntino quodammodo concurrat? Ad quem, nisi ad Archi-Mareschallum, cui vel sola muneris amplissimi ratio partes illas tribuit ac defert? Vt quamuis nulla conuentio intercessisset, non dubitauerim tamen etiam citra pactum partes hasce Archi-Cancellarii Archi-Mareschallo Imperii vindicare.

§. X.

r) *Conf. REINKING de Reg. Secul. et Eccles. l. 1. Cl. 3. C. V. n. 19. vbi monet Saxonem non Moguntini tantum sed et Brandenburgici et Principum vota in conuentu Ratisbonensi Electorum et quorundam Principum an. 1623. habito explorasse. Add. BECHM. Exer. Exot. 12. §. 27. n. 4. sq.*

§. X.

Huic ergo Directorio Saxonico vt paucis contraham, quae fufius fingula exponi poterant, locus relinquendus est, (1) primum fi causa Moguntinum attingat, de qua in Comitiiis aut conuentibus Electoralibus agendum fit, adeoque ipfe Moguntinus munere fuo defungi non poffit. vid. BECHMANNI *Ex. Exor. XII. th. 27.* Neque enim ipfe Moguntinus in causa propria Directoris officium fufstinere valet. Is ergo, qui alias quoque Moguntini votum explorat, hoc casu caeterorum fententias exquirat, et has ac reliquas partes fibi iure vindicat.

§. XI.

Dein (2) fi ad Moguntinum causa quidem non pertineat, is tamen Directorio fponde abftineat ac partes fuas interponere recuset. *Autor der Grundfeste L. 2. c. 4. d. m. 86. verb. Oder fonst nicht gerne dran will.* (3) Addunt aliqui, fi officium fuum negligat Cancellarius, (fi quidem licet in fingendis casibus genio indulgere) Sed nobis fufficit indicaffe quotiefcunq; ille officio fuo defungi aut non vult aut non potest, Saxonicae Directioni effe locum. Conf. SCHARSCHMID *ad Schüz. Ex. 2. ad th. 10. lit. b. pag. 102.*

§. XII.

Porro (4) fi Moguntinus Praeful abfit, hoc est, fi nec ipfe compareat, nec Legatus eius praefens fit. Atque hoc non obscure liquet ex Conuentionis, cuius faepius mentio facta est a Ioanne Electore cum Alberto initae verbis: *Wo aber nie- mand*

mand von des Erz-Bischoffs zu Maynz wegen, erschien, oder zugegen wäre, damit denn die Sachen nicht verzogen oder aufgehalten würden, soll alsdenn der Chur-Fürst von Sachsen oder dessen Bethschafften und Berordneten, die Umfrage zuthun haben. Idem obrinet (5) si Legatum Moguntinum decedere contingat, donec alius in locum eius sufficiatur. Conf. *Autor des Discursus von gegenwärtigen Reichs-Tage ap. SCHILTER. p. 108.* Aut (6) si nondum legitimatus ille satis sit, et hanc ob causam ad Conuentus Imperii et Directorium eorum non admittatur, quod anno 1690. contingit, vbi Archi-Marschalli Serenissimi inquam Electoris Saxoniae Legatum Directorium sibi contradicente licet Treuerensi et Coloniensi asseruisse apparet ex iis, quae PFEFFINGERVS tradit *ad Vitruv. Lib. III. tit. 10.* Add. SCHILTER *l. c. pag. 109.*

§. XIII.

In primis vero Directorium Saxonicum se exferit, quando sedes Moguntina Praesule suo orbata vacat et Archi-Cancellario eodemque Directore Imperium destituitur. Inde cum anno 1675. LOTHARIUS FRIDERICUS et anno 1678. DAMIAN HARTARDUS Archi-Episcopi Moguntini ex viuis discessissent, Saxonicus Legatus omnia Directorii iura Domino suo vindicauit. Quid anno 1675. gestum sit, WAGENSEILIVS et FRITSCHIVS docent, acta autem anno 1678. KVLPISEIVS exhibet *ad Monzamban. P. 2. pag. 164.* Ex quibus intelligitur Saxonicos Legatos pro iure Principis sui non modo ad possessionem antiquissimam et consuetudines

Imperii prouocasse, sed et in primis transactiones illas saepius laudatas allegasse. Quamuis enim illae de casu hoc nominatim non disponant, attamen cum absente Praesule Moguntino Directorii munus ad Archi - Mareschallum pertinere declarant, nihil quicquam obstat, quo minus ad hunc casum, quo Moguntinus diem suum obiit, proferri et applicari possint, cum pro absente aequè haberi possit, qui esse desit, et sufficiat, munere defungi non posse eum, qui vita defunctus est. Itaque vt negotia Imperii quamprimum expediantur, in utroque et absentiae et Sedis vacuae casu Archi - Marescallo Directorium etiam ex his ipsis tabulis asseri posse putamus.

§. XIV.

Sed hoc ius, quod Electori Saxoniae competere ostendimus, vacante sede Capitulum Moguntinum sibi arrogat. Vrget Capituli eadem esse, quae Episcopi iura, et cum ipse quoque Archi-Cancellarius per Legatum muneris eminentissimi partes obeat, nihil obstat, quo minus Capituli Legatus iisdem defungatur, contendit. Has et olim et anno 1675. in primis sibi sufficere credit rationes ad Directorium Archi - Marescalli in dubium vocandum. Enim vero quamuis negari nequeat, pleraque Episcoporum iura sede vacua a Capitulis exerceri, quam in rem texus luris Canonici cumulari a DD. solent: inde tamen minime omnium conficitur, in Comitibus quoque Directorium ad Moguntinum Capitulum pertinere. Si quidem et iura personalia Episcoporum Capitula sibi

fibi afferere non posse constat, et Directorium hoc non qua Episcopo, sed qua Archi - Cancellario Moguntino Praefuli competit. Officia vero aulae a Capitulis non exercentur: Ut taceam pacta cum Archi - Episcopo inita etiam Capitulo ob stare, quod Conuentiones Imperii auctoritate initas in dubium vocare nequit, ex quibus ius Electorum Saxoniae non obscure apparere supra diximus cuiusque.

§. XV.

Praeter Moguntinum Capitulum etiam Treuerensis Archi - Episcopus Directorii iura sibi vindicare praesumit, s) quod et ipse Imperii sit Archi - Cancellarius et primum post Moguntinum inter Electores locum teneat et pactis cum Moguntino initis haud obstringatur. Enim vero si Moguntinus eam ob causam dirigeret negotia Imperii, quod primus inter Principes eligentes sit et reliquos omnes citra controuersiam antecedit, poterat veri speciem habere illa ratiocinatio. Nunc cum, ut diximus, non ordinis, sed muneris, Cancellarius inquam causa Director sit, nulla vis inest ei, quod a iure proedrias desumptum est, argumento. Cancellariatus vero Treuerensis ad Germaniam non pertinet, ergo nec in Imperii Comitibus directorium exercendi idoneam causam tribuere poterit. Itaque pacta cum Moguntino inita frustra sollicitantur, ab eo, cui dirigendi ius nullum extra fines Cancellariatus sui competit: Taceo conuen-

B 3

tionem

s) Qui et eo casu, si Moguntinus absens sit, cum Saxone de Directorio contendit.

tionem Imperatoris et Ordinum auctoritate initam etiam Treuerensem obstringere, eundemque in eam dudum tacite saltem consensisse. Eadem Colonienſis Archiepiſcopi cauſa eſt, qui cum Treuerenſi concurrere et alternis vicibus Directoris munus ſubire, aut quod alii tradunt, t) Treuerenſem etiam excludere praetendit. Conf. *Perill. Auct. des Europ. Herolds* p. 209.

§. XVI.

Caeterum non vacat hic ſingula iura, quae Directorio Imperii cohaerent, recensere, quae Scriptores Iuris Publici, ubi Moguntini Praefulis iura ſingularia recensent, commemorare ſolent. Sufficiat indicaffe omnes illas poteſtatis huius partes iis, quos dixi, caſibus omni modo ad Archi-Mareſcallum pertinere. Itaque et diem ac horam deliberationibus publicis denuntiat, et quae agenda, de quibus rebus conſultandum ſit, indicat et exponit, ſuffragia colligit, et confert, quid omnibus aut maiori parti placuerit, indicat, conſuſumque, quod vocant, praelegi et in ſcripturam redigi curat. Quin imo cum hiſce caſibus et Archi-Cancellarii et Archi-Mareſcalli ſimul iura exercent Elector Saxoniae, plenius etiam eius et quodam-

c) Ita *Autor des Discursus von denen Reichs-Tagen ap. Schilter. p. 107.* Alleine ein jeder praetendiret ſolches vor ſich priuatiue. Sed ex iis, quae PFEFFINGER. l. c. p. 136. attulit, colligimus, Colonienſem alternatiue tantum Directorium anno 1690. ſibi poſtulaffe. Fallitur autem *Id. Autor de Comit.* dum alternis vicibus vtrique Treuerenſi atque Colonienſi Electori hoc Directorium deberi pronuntiat, *cit. p. 107.*

dammodo amplius, quam ipsius Moguntini Directorium esse ex iis, quae §. 5. *seqq.* diximus, consensu persuademur.

§. XVII.

Sicuti autem, quod haecenus comprobauimus, in Comitibus et aliis Conuentibus Principum, Electorum Cancellario Germaniae mortuo, absente vel impedito Archi - Marescallus Directoris officium sustinet: ita nec dubito, quin, si ita contingat, etiam quoad Conuentus solenniores, quae electionis Imperatoriae causa instituuntur, idem debeat obtinere. Dubitant DD. quis ad electionem conuocet, si Moguntinus forte diem suum obierit, cui ius hoc Bulla Aurea Caroli IV. concedit. Capitulum hoc quoque casu fere omnes excludunt. v. LIMN. *ad A. B. Cap. 1. §. 18. O. 3. SCHARSCHM. Ex. II. th. 10. lit. b. p. 99. CRVS. ad A. B. p. 344.* ibique cit. quod ad electiones plane non admittitur, Directoriique in Imperio ius nullum habet. Alii sponte sua etiam non inuitatos conuenire debere Electores censent, perinde atque eo casu, quo conuocationem Moguntinus intermitterat, Carolina Sanctione cautum est: Alii pro Treuerensi Praefule pronuntiant, quibus ex iis, quae §. 15. attulimus, satis fieri potest: Alii Vicariis ius ad electionem conuocandi tribuunt, vt Palatinus, cui olim ius hoc competisse u) asserunt, cum Saxonone concurrat. Sunt, qui Electorum arbitrio relinquunt, cui conuocandi ius competere debeat.

LIMN.

u) Conf. III. COCCEL. *Cap. XX. n. 20. BVXTORFF. ad A. B. Cap. I. Concl. XVII.*

LIMN. l. c. SCHARSCHMID. l. c. pag. 102. Ego Marefcallo Imperii has quoque Moguntini Directorii partes adscribere malim. Nam quamuis in his rebus Vicariorum quoque potestatem lubenter agnoscam ac venerer, diuersae tamen sunt Moguntini Praesulis et Inter Regum partes in Comitibus eligendi Regis ergo cogendis, et Directorium Moguntinum sub Vicariis non minus, quam Rege superstite se exserit: hoc vero tempore quoque Archi-Marefcallum vicibus Archi-Cancellarii defungi, ex pacto anno 1562. infero; cuius verba: *Sonderheit auff allen Wahl = Tügen*, non parum hanc sententiam adiuuare videntur.

Sed satis est, si non pro amplitudine grauisimae materiae, pro instituti tamen mei ratione Delineare enim in praesenti tantum mihi licuit, quae secundis curis et plenius et accuratius explicare mecum constitui.

T A N T V M.



VD₁₈

Wittenberg, Diss., 1712 A-H

ULB Halle

3

005 021 618



TA-7 Ol. nr. 1 Stück



E. 10. num. 22

1712

9
86

POSITIONES IVRIS PVBLICI
DE

DIRECTORIO

QVOD

ARCHI-CANCELLARIO

GERMANIAE MORTVO,

ABSENTE VEL IMPEDITO, IMPERII

ARCHI-MARESCALLO COMPETIT

PRAESIDE

MICH. HENR. GRIBNERO,

D. ET P. P.

PVBLICO EXAMINI SVBICIT

PHIL. FERDINAND. A KÜHLWEIN

D. IX. FEBRVAR. MDCCXII.

VITEMBERGAE

Imprimebat SAMVEL KREVSIGIVS.



9. 365



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres